



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Sed an qui ratum habet damnum suo nomine factum, tenetur restituere?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

num illatum mandatum revocet, idque mandataro innotescat, non tenetur restituere damnum postea illatum: quia jam non censetur causa damni, cum illud non proveniat ex mandato; tunc enim alter non agit ex vi mandati, nec mandantis nomine, sed suo nomine & motu. Secus, si revocatio mandati ante damnum non innotescat; quia tunc ex vi mandati damnum inferitur. Tenetur etiam mandans ad restitutionem licet mandatum revocaverit, si non impedierit subditum à damno inferendo; tunc enim tenetur ut non obstans.

Resp. III. Si scias alterum paratum esse nomine tuo damnum inferre, nec impedias, cum possis, cohibendo, vel significando te nullatenus id velle, teneris restituere: quia censeris mandasse saltem tacite, aut certe taciturnitas tua censetur consensus, & approbatio. Deinde quisque tenetur ex justitia impedire, ne nomine ipsius, & tanquam aliquid sibi gratum damnum proximo injustè inferatur.

Sed an qui ratum habet damnum suo nomine factum, tenetur restituere?

Resp. Neg. Si neque expressè, neque tacite mandaverit. *Est communis.* quia talis nullatenus est causa damni: nam id quod posterius est tempore, non potest esse efficiens causa effectus præcedentis. Hæc autem Reg. 10. Jur. in 6. *Ratihabitionem retrahit, & mandato non est dubium comparari.* intelligi debet præ-

tertium de contractibus, qui alterius nescientis nomine celebrati, & à consensu ejus pendentes subsequente ratificatione confirmantur. Ratihabitio comparatur etiam mandato quoad culpam, & poenas in jure expressas, non autem quoad obligationem restituendi, nisi ea sit causa efficax, cur damnum inferatur, vel illatum non resarciatur.

§. II.

De Consulente.

Resp. I. **C**onsulens dicitur is, qui consilio, vel precibus, promissis, suggestione motivi, vel ostensione viæ nocendi induxit alium ad damnum inferendum. *Ex communi* tenetur restituere; quia est causa moralis, & injusta damni. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propos. *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.* Quod si sint plures consulentes, singuli tenentur ex æquo: nam omnes in damnum æquè influunt, cum omnium consilio alter motus sit ad damnum creandum. Idem dic de pluribus jubentibus.

Resp. II. Si consulens ante damnum illatum revocet consilium, *ex communi* tenetur adhuc resarcire damnum postea secutum, si consilium consistebat in ostensione utilitatis, vel delectationis inde percipiendæ, vel modi exequendi: quia tunc adhuc meritò censetur
causa